Montanari, Bernardo.

# DE VITA ET SCRIPTIS

# ANTONII LACHII

FAVENTIÆ MDCCCXII.

TYPIS CONTII.

*Pulchrum in primis videtur non pati occidere, quibus aeternitas debeatur.*

Plin. Lib. 5. Ep. 8.

STEPHANO BONSIGNORE

EPISCOPO FAVENTINO

*VENETIARUM PATRIARCHÆ DESIGNATO*

*COMITI SENATORI BARONI*

*EC. EC. EC.*

BERNARDUS MONTANARIUS

*Mirabitur profecto, Antistes Amplissime, qui ingenium, litterasque intueatur, in quibus pares hujus aetatis habes paucissimos, tantulam rem Tuo*

*Tuo Nomine praescriptam vulgari, cui longe quidem splendidiora honoris, et obsequii argumenta detulisse oporteret. Verum quae de Lachio memoranda videbantur, ut Tibi destinarem, fecit ea praesertim, qua viventem illum complexus es, singularis prorsus benevolentia, tuaque plurima de homine existimatio; ut ad illum, licet demortuum quidquid pertineat, gratum id omne Tibi, acceptumque fore confiderem. Sed et animos addidit humanitas ista, indolesque lenissima, qua Te vel in tam alto fastigio positum comem omnibus, facilemque praestas, et ad homines undequaque demerendos genitum prodis, factumque testaris. Si non eam hoc in libello elegantiam, judiciumque deprehendas, quae Tibi praesto sunt semper, Tuaque*

*omni-*

*omnino sunt, et propria; at illam nullo lenocinio fucatam veritatis speciem, qua nihil pulchrius, nihil optabilius, minime desideraveris. Neque vero publicis ego iniquus commodis longo Te sermone morabor tot, tantisque distentum negotiis. Litteras, et pacificos spectatissimi Viri mores Tibi sisto, dicoque; quos adeo persecuturus sobrius scriptor, et frugi nae ille magnum volumen non impleverit. Munusculum igitur aequi, bonique consule; quod Tibi dum laetus, ac libens defero, non hoc ego contendo, ut officiis respondeam, quibus me plurimis devinctum tenes; sed ut voluntatis, et observantiae in Te meae significatio demum extet aliqua; satis mihi fore ratus, si Tibi Judici sane summo meum qualemcumque la-*

*borem*

*borem quodammodo probaverim. Det Tibi aetatem Deus O. M., quam mereris; cœlique munere tanto, quo Faventini gloriosius efferebamur, Veneti potiantur quam diutissime: ipsique experiundo noverint, nihil Tibi in hac tanta honorum accessione detractum de pristina facilitate, nihil de justitia, nihil de insigni illa in pauperes munificentia, atque in deprecandis aliorum aut periculis, aut incommodis industria; noverint omnigenam eruditionis copiam, eximiam dicendi vim, ac suavitatem, consilium, prudentiam, animi candorem, maximarum denique virtutum conjurationem, atque consensum. Felicia, fausta, fortunataque Tibi contingant omnia, quaecumque susceperis in Religionis bonum, et in creditarum Tibi gentium commodum, atque utilitatem.*

Illud natura comparatum est, ut, qui sive bonitate, sive sapientia, sive quovis alio nomine præstiterint summi viri, eos mortalium ceteri suspiciant, et veluti, quæ assequi se posse desperent, in illis revereantur: gloriam vero, quæ ab ipsorum operibus proficiscitur, quam maxime longam, sempiternamque nitantur efficere. Hinc dulce, ac sollemne fuit ubique, vel si longe semota vetustas inquiratur, ut illustrium facinorum memoria pictis tabulis, numismatis, marmore, aut ære fictis imaginibus, litteratisque lapidibus posteritati traderetur. Quod sapienti sane consilio factum, ac providentissime. Nam præter-

terquam quod hisce humani, et grati animi officiis virtus laudibus ipsa suis extollitur, atque exornatur, magna proposita exempla vi quadam insita, et prorsus mirabili ingenia commovent, animos erigunt, atque ad imitanda clarorum virorum egregie facta impellunt, incenduntque. Hæc reputans mecum ipse statui, facta moresque ANTONII LACHII, quæque de illo memoratu digna videbuntur, perscribere. Cineres enim, nomenque spectatissimi civis aliquo dum prosequor pietatis officio, in spem venio fore, ut aliquis, excitatis gloriæ stimulis, ad virtutem, ac litterarum studia alliciatur, invitetur adeo, ut illarum ope, præsidioque detur et ipsi aliquando bene de re publica mereri, atque aliquam hoc pacto sibi laudis parere claritatem. At-

que

que utinam alii ad juvenum animos eo magis in gloriam inflammandos eorum merita pleniore stilo complectantur, quibus arctissimo Patriæ vinculo obstringimur, cujus quidem dignitate, et gloria nihil bono civi potius, nihil antiquius esse debet. Turpe sane, dum aliena curiosius inquirimus, nostra deserere; et quæ a præclarissimis gesta sunt majoribus tacendo veluti despicere. Cujus turpidinis notam ignavissimi quondam subiere Syracusani, qui divini Archimedis monumentum, et ossa sentibus, ac rubis undique septa, occupataque ignorassent, nisi a Cicerone didicissent. Haud aliter nostrorum incuria, socordiaque factum ( venia sit dicto ) ut, qui tantam pulvere, et radio meruit famæ celebritatem, suum quondam alii dixerint Evangelistam

Tor-

Torricellium Faventiæ tandem vindicatum. Ut ut vero permulti sint ex civibus nostris hominum praeconiis, memoriaque dignissimi; haud hercle silentio prætereundi ANTONIUS BUCCIUS, JOSEPHUS SARTIUS, quorum alter nedum in philosophicis rebus, sed in omni litterarum genere apprime versatus de Philosophia ipsa ita scripsit, ut talium rerum asperitatem, ut ita dicam, exculta, elegantique oratione latina molliens, ac temperans Auctores omnes, qui post Augustea tempora Philosophica scriptis tradiderunt, longe superaverit; quod et a Platone factum legimus, et Tullio, qui rerum naturam, et caussas eleganter, ornateque describentes, immortalitatem hoc quoque nomine adepti sunt: alter vero facile ingenium, ac libens in rem me-

melicam ita excoluit, ut illum in musicis modis faciendis memoria nostra principem Europa admirata sit universa; cujus si sonos, numerosque Orpheus, et Linus audissent, quos feras non modo, sed saxa quoque, silvasque duxisse memoriæ proditum est, et gratulatos existimaverim et fuisse vero etiam imitatos. *Sed* hæc, inquam, alii commemoraverint. Erit fortasse, qui in hoc qualicumque opusculo honori hominis destinato, qui cum virtute, tum latinis maxime litteris inclaruit, Romani sermonis castitatem, nitoremque requirat. Verum tanti viri vitam cursaturus unum illud propositum habui mihi observantiæ, et voluntatis in eum meæ argumenta prodere, minime vero illius veneres, et suavitatem sermonis æquare dicendo.

Et

Et cupientem adhuc animus, viresque deficerent. Latinarum igitur rerum Scriptorem eximium latine utcumque narrabo; saltem ut non omnis illius intercidat memoria, per quem aucta maxime Faventinorum gloria est.

ANTONIUS natus est Faventiæ, quæ Æmiliæ Civitas est antiquissima ingeniorum gloria præstans, agrique ubere fertilis; cæli vero salubritate, et clementia non facile æquanda. Patrem habuit Philippum ex Lachiorum Familia, quæ licet nec majorum facta fortia, nec multas ostentaret imagines, haud humilis tamen fuit: immo si ex virtute nobilitas, genus dixerim generosissimum, quippe ab origine ultima constanti virtute præclarum. Mater ejusdem conditionis fuit Euphrasia ex gente Strocchia. Noverant Parentes præstantissimi, institutionem omnem a lacte, cunisque initium ducere, ac tenacissi-

mos

mos natura nos esse eorum, quæ rudibus annis percipimus: diu namque durat odor, quo nova semel fuerunt imbuta. Hinc ne vitiis infans adsuesceret, non eum delegarunt emptæ nutrici, aut vilissimo servo, queis indoles sæpe, moresque pravi. Sicuti enim homines non ipsa per se facit natura bonos, ita institutio labefactat illiberalis. In Parentum propterea manibus, et sinu educatus est. Ipsi mentem pueruli informabant, ususque sanctissimos exemplo docebant, quos ille effingere imitando conaretur. Divina vero humanis quam longissime anteferentes omnem curam, sollicitudinemque in purissima filio Religione tradenda collocabant; Reipublicæ quin etiam se civem addidisse rati tanto meliorem, fidioremque, quanto magis ipse Religionis

gionis amore, ac reverentia teneretur. Neque enim melius moenibus urbes, quam Religione stant. Eum autem vix primis litteris opportunum Pater ipse domi per se instituendum suscepit; eoque diligentior a teneris unguiculis fuit, quod docilitas summa, et felix, lætaque indoles spem de illo faciebant quam optimam. Custos idem incorruptissimus ubique aderat, et mores nedum, sed remissiones, lususque pueri sanctitate quadam, et verecundia temperabat, cautus præsertim, ne vanis blanditiis, deliciisque primos annos solveret. Mollis enim illa educatio, quam indulgentiam vocant, mentem, et corpus enervat, frangitque. Nunquam autem corrigas, quæ in pravum excreverunt, atque induruerunt.

Bilustris nondum e paterno ludo in patrium Clericorum contubernium concessit; quo loci ad Religionem, et ad omnem cultum Faventina pubes in Ecclesiæ spem subcrescens excitatur, informaturque. Ibi pueritiam ultimam, primamque adolescentiam transegit: adeoque nedum rudimenta posuit, quibus puerilis ætas imbuitur, sed amæniores quoque litteras, et severiora studia doctoribus, queis usus est præstantissimis, adprobavit adeo, ut, qualis esset in omni vita futurus, facile quisque intellexisset. Eo usque in omnibus proficiebat, ut non excurrere, sed evolare videretur. Dixeris præsertim cum lacte illum quodammodo suxisse Musarum studia. Nondum enim ex ephebis excesserat, quum versus conderet lepidissimos. Quam-

quam

quam non acre tantum a natura ingenium habuit, aptumque ad artes optimas; sed cum summa mentis acie mores illos conjunxit candidissimos, ad quos nempe efformandos litteræ ipsæ fuerunt invectæ. Ac multis quidem virtutibus auctum, multaque insignem pietate adolescentulum nemo demum mirabitur, fluxis mortalium rebus nuntio remisso, se totum Ecclesiæ addixisse, seque Deo sollemnium votorum Religione mancipasse.

Interea Lachii nomen increbescere, atque omnium sermone celebrari. Ingenium, ac virtutes hominis novit præ ceteris optimus virtutis, et ingeniorum æstimator, ac judex ANTONIUS CANTONIUS, qui tum Faventinis Sacris præerat, Municeps idem, et Pater; cujus in Patriam pietatis, ac Munificen-

tiæ monumenta extant sempiterna. Dudum ille cum quæreret, qui sibi a secretioribus epistolis esset, Lachio nil tale cogitanti multi consilii, altique silentii munus detulit, jussitque eum in numero suorum esse. Usque adeo ipsa se virtus ostendit. Non studium in illo, ingeniumve fuerunt desiderata. Naviter, et in exemplum ministerio functus est suo. In aula vero, vernante adhuc ætate, Praesuli ante alios longe acceptissimus, omnium ( quod vix credas ) extra invidiam fuit. Neque enim impotenti fastu efferebatur, non aura tumescebat inani: vultu, gestuque modestus sinceros mores præferebat; nemini infestus, omnibus, qua datum, erat fructuosus. Apposite de illo dixisset Cicero ( 3. Tusc. 9. ) *sapientis animus semper caret vitio*,

*num-*

*nunquam turgescit, nunquam tumet.*

Sed illam, quam tum ille vivebat, non vitam esse arbitrabatur. Natura comparatus, ut procul negotiis sibi viveret, et in litteris, animo jam pridem secum ipse volutabat, aula posthabita in pristinam se vindicare libertatem. Itaque cum tres ipsos annos operam suam Antistiti optimo commodasset, studiis, quæ Sacrorum Ministrum neglexisse turpe nefas est, honeste peractis, deque iis iterum, ac sæpius periculo de more facto, annos demum undetriginta natus Curiæ majori præfectus est S. Martini in Monte Fortino, qui locus distat ab urbe Faventia sex millia passuum.

Si sapientis est, officium suum meminisse, illud ad rem monuero, Lachium in ea, quae muneris sui essent,

sent, perquam diligenter incubuisse, nihilque in illo, quod sedulum animarum curatorem maxime deceat, usquam desideratum. Cumque persuasum in primis haberet, a principibus viris, qui ceteris quomodocumque praestant, virtutes non secus, ac vitia in populos descendere, eosque peccando exemplo magis, quam peccato nocere, omnis expers libidinis totus ipse patuit virtutibus, quo foret ipsemet virtutum omnium praesidium, et exemplar. In concreditis vero ovibus pascendis, regendisque quis illo prudentior, quis paratior? Non sibi, sed popularium suorum commodis veluti natus, eorum modo dissidia componere, modo deprecari pericula, modo corruptos ad frugem restituere, foedam modo inopiam levare: effusae autem in egentes

adeo

adeo erat largitatis, ut vel invitos interdum beneficiis adiret. Sed et plurimus in Catechesi Christiana fuit, et in concionibus habendis, plurimus in admissis poenitentium expiandis, aegrisque praesertim juvandis, quorum valetudini indefessus adsidebat, ac deficientes piis alloquiis, et consiliis solabatur, fovebatque expressam Evangelici Pastoris imaginem usquequaque manifestans.

In purissimo itaque illo coeli ambitu, qua se collis extollit, assurgitque plus aequo in acutum cacumen fastigiatus longius ab urbanis turbis, et strepitu aulae spiritum sibi videbatur ducere leniorem. Ibi quod a statis precibus, muneribusque sanctissimis reliquum erat otii, studio dabat; et propior, quasi dixerim, aethereis regio-

gionibus illud ingenii acumen, eamque experiebatur animi alacritatem, ut, quidquid vulgare, ac terrenum est, exuisse videretur. Animum vero ipsum longo studio, ac meditationibus defatigatum modo subdiales obambulationes, graves tamen per confragosa loca, et implicatas flexibus vias, grata modo frondenti sub quercu, viridique in caespite quies, et ipsa praesertim late circumspiciendi libertas identidem exhilarabant, integrabantque. Hac bonorum compensatione vir sapiens importuni ceteroquin domicilii incommoda lenire conabatur: ibique parvo beatus, supellectile modicus erat, solitus dictitare; laudem ab ingenio, non a corporis cultu quaerendam. Hinc vidisses interdum venientem Faventiam, aut inde redeuntem decurtato mulo,

cui

cui mantica lumbos onere, humeros, sessor ipse ulceraret. Sic ille sine fuco, et fallaciis more Majorum aetatem agebat.

Securum hunc, secretumque secessum ratus Musis excolendis, quas naturae quadam inductione Latinas deperibat, et aequas experiebatur, opportunissimum, iis totum se adjungere constituit. A latina vero lingua rectius addiscenda sibi censuit exordiendum, cujus penitiorem notitiam, nedum ad Latinorum Poetarum vim, et lepores assequendos requiri, probe intelligebat; sed eam quoque cum clarissimo Mureto firmum habebat: *instrumentum esse ad parandam doctrinae copiam omnino necessarium* ( Orat. 23. ) Quod et varios qui repetat eventus, variamque litterarum

for-

fortunam facile perspexerit. Noverit enim, litteras omnes, disciplinasque, Romana hac lingua florente, vigenteque, floruisse, ac viguisse: rursus cum illa rerum humanarum vicissitudinibus deciderit, atque defluxerit, decidisse et ipsas, ac miserrime labefactas defluxisse. Eo usque alterae alterius opem et expectant, et poscunt, et conjurant amice. Jure quapropter doctorum lingua semper, et habita fuit, et dicta; eamque cum Mureto ipso Facciolatus, Lamius, aliique permulti Scriptores gravissimi litterarum omnium parentem, et altricem apertissime sunt confessi, omnique honore prosequuti.

Quam dum extinctam, et mortuam dicunt, optandum sane, ut opinionem hanc ita moderentur, ut non illa quidem

dem

dem a nutrice hauriatur, nec a populi arripiatur consuetudine (quod beatissimo illo Romanorum aevo contigit); minime vero ut deperdita sit, ac delcta, uti de Osca, Celtica, aliisque potest affirmari. Nonne sarta, tectaque superfuit in membranis, codicibus, numismatis, litteratisque lapidibus, quibuscum ad nos usque pervenit? Gravi propterea morbo tentata, quo dira Barbarorum ab Aquilone colluvies eam infecerat, pollueratque, jacuit illa quidem, ac pudibunda, lucemque perosa latuit quam diutissime, sed summorum virorum cura, studioque emersit tandem, enituitque Matrona omnium gravissima, ornata adeo, ac perpolita, ut veterem veluti dignitatem, et Consulare denuo Imperium exhiberet. Floret ve-

ro, vigetque modo in doctorum scriptis, in Accademiis, et Gymnasiis ubique terrarum nota, atque ab iis omnibus exculta, qui laude velint excellere doctrinæ.

Sed et illud fateantur oportet, (quod illius saepe criminantur obtrectatores) immutatam quamtumlibet pronunciationem, quidquid priscae illius venustati, dignitatique derogare valeat, neutiquam tamen ipsius elegantiae, et castitati officere; cum pronunciatio exterior quaedam linguarum omnium dos sit consideranda: aliunde vero, quae fato quodam suffecta est, nec insuavis omnino, nec aspera vere dicenda sit. Hinc si mavis, minus recte pronunciabimus, non minus apte scribemus. Salva igitur, et incolumi vetere scribendi ratione, quam ad haec usque

tem-

tempora integram, inviolatamque pervenisse, inficiari nemo potest, quantacumque demum sit pronunciationis immutatio, non ista tanti valet, ut nobilissima haec lingua quasi anus imbecilla, morosaque fastidiatur, amandetur. Meminerint, hanc illam esse linguam, quae olim cum Romanis armis, ac triumphis Romano diu viguit par Imperio, quae cum Graeca ipsa sua quondam magistra, ac Parente elegantia, copia, nitore jure possit contendere, quae fuit, eritque semper commune gentium omnium vinculum, instrumentum vero, quo litterae, disciplinaeque omnes augentur, propaganturque.

Quae de Latina Lingua dum leviter, strictimque percurro, nemo mihi succenseat, nullumque mihi quis arbitre-

tretur cum nostrate susceptum esse bellum: adeo ut Auctores fastidiam Italos, et patrii me pigeat sermonis, quem ii solum dedignati fuerint, qui illius suavitatem, ubertatemque minime norunt. Quis enim maxima perfundi se voluptate non sentiat summorum Virorum scripta revolvens, qui nobilissimae huic linguae vitam, nomenque dedere, quod nulla unquam poterit abolere vetustas? Aut quis recentiorum operibus non ex aequo oblectetur, quorum exemplis, nec non diligentia, et contentione, novitatis studiosis, ejusdemque linguae corruptoribus flagitiosissimis depressis, et afflictis, ipsa ad eum jamjam honoris, ac dignitatis gradum perducitur, ut ad pristinum Etrusci nominis decus Italia iterum brevi adsurrectura videatur.

Quod

Quod eo vel magis fore sperandum; siquidem nec litterae hodie (quod factum alias) exulare jubentur, nec Amalasuntham objurgant modo, incusantque Gothorum Proceres, quod Athalaricum filium in praeceptorum tradat disciplinam. Qui providentissimus, ac vere Maximus jura, legesque nobis impertitur, Ille, Ille Ipse dum Italae pubis desuetos jampridem, residesque animos in arma vocat, non modo Latinarum Litterarum, sed maxime Etruscae ipsius Linguae assertor idem, et vindex accisam eam, et aegre admodum ex ingruentis barbariae diluvio caput fessum exerentem respicit, fugientem revocat, et in pristinam lucem, ac dignitatem vindicat: ut vere dici queat, foedus ab armis, sequestro ipso, et arbitro, cum Litteris ictum fuis-

fuisse; quae propterea tutae innocentia sua arma minime perhorrescunt, et libere media inter arma ipsa vagantur, nitentque; adeoque hederam Illi inter lauros circum tempora serpere. Scilicet sapientiae studiis, non secus ac bellicis artibus instructissimus Princeps qui poterat ignorare, Ditiones, et Imperia non modo bellica re stare, sed a Litterarum quoque cultu, bonarumque artium perfectione cum splendorem, et decus, tum robur, ac firmamentum acquirere? Quamquam quis Italam Linguam dignis aequare laudibus sibi sumat, qui non idem praeconia eodem tempore Latinae Matris recinat? Quis animi sui sensa Italico audeat prodere sermone, qui Latinae Linguae notitiam non habeat pleniorem, nec ornamenta dignoscat Matris propria, ut

illa

illa detur dignoscere, queis instrui Filiam, et affluere maxime deceat? Equidem non dubitaverim affirmare, neminem adhuc Etruscae Linguae fama claruisse, quin ipse Latinas Litteras adamaverit, calluerit. Ipsos appello Etruscae ejusdem Linguae Auctores, et Parentes, Alighierum, Petrarcam, Boccatium, Politianum appello, Bembum, Casam, Molsam, aliosque benemultos, qui Italicum ipsum sermonem excoluerunt, illustrarunt, auxerunt; eos appello, qui

*Res gestas Regumque, Ducumque,*
*et tristia bella*

aureis numeris cecinere, Ludovicum, Torquatum; omnes (singulos enim si recensere velim, infinitus ero) omnes, inquam, appello, nedum qui superioribus saeculis, sed quotquot etiam no-

stris

stris hisce diebus patrii sermonis lau-de commendantur; quos omnes notissima res est, in Latina Lingua multos fuisse, et esse: quod si non aliunde, certe ex ipsorum operibus, quae latino supersunt conscripta sermone, apertissime deprehendo.

A proposito, institutoque meo haud ratus sum me discedere, si, antequam ad ea enarranda accedo, quae latine a Lachio fuerunt exarata, paucis de Latina ipsa Lingua disseruissem. Ceterum ut eo, unde me quasi quidam ipsius linguae laudum aestus abripuit, revertar, Lachius totus in ea addiscenda fuit; utque adyta pervaderet, et omnibus istius, quasi dixerim, Deae mysteriis initiaretur, Scriptores non proletarios, sed classicos, assiduosque (ut cum Gellio loquar lib. 19. Cap. 8. ad

fin.

fin. ) beatissimi illius aevi, quod aureum jure optimo dictum est, quorumque tot est saeculorum consensu auctoritas rata, nocturna cepit versare manu, versare diurna. Quorum quidem continenti lectione cum ille supra modum oblectari fatebatur, tum incredibile dictu est, quam varios ac uberrimos doctrinae fructus colligeret in dies, seponeretque. Verum, et ad illam plenius assequendam vir summa mentis acie praeditus probe intelligebat, non lectione tantum, sed usu, et exercitatione sibi opus esse. Meminerat fortasse eorum, quae Plinius ( Lib. 7. Ep. 9. ) ad rem tradiderat: *utile in primis esse ex Graeco in latinum, et ex latino vertere in Graecum; quaeque Quintilianus* ( Inst. Orat. Lib. 10. Cap. 5. ) *refert: vertere Grae-*

*ca in latinum veteres nostri oratores optimum judicabant;* quod et Crassus se factitasse dicit, et Messalae placuit; Cicero vero praecipit frequentissime, qui praeter alia, aliquos etiam Platonis libros transtulit, atque Xenophontis: sicuti, et Veronensis Poeta, ut alios mittam, Graecum Callimachi carmen de Coma Berenicis versibus reddidit latinis. Quod non sine multo quidem consilio factum dixeris, multaque cum utilitate. Nam praeterquam quod Auctores sic diligentius cognoscere, et necessario datur introspicere, circa sensus eosdem certamen, et aemulatio quaedam exoritur, quam stilo efformando mirum in modum conferre Rhetores consentiunt, ipsaque docet experientia. Hisce de causis, quam saepissime stilum exercebat, aliena scri-

pta

pta ab Italica in Latinam Linguam transferendo, latinaque praesertim carmina pangebat, quae veterum Scriptorum splendorem, et elegantiam omnino referrent.

Inter haec Lachio ad manum venere duodecim Odae, quas primas edidit Vir Clarissimus Ludovicus Saviolius de re litteraria non uno quidem nomine meritissimus. Carminis facilitas, nitorque, verborum numeri, sententiarum cum amoenitate quadam, ac suavitate conjuncta nobilitas eminent ubique. Dixeris aevi nostri Propertium; nisi mavis cum Eruditissimo Viro Joanne Andres Italum Anacreontem nominare, quem Musae, Charitesque ad jocos praesertim finxerant, et amores: gravia namque sectanti cithara, fidesque non ex aequo responderunt; quas-

que

que propitias adeo, et faciles in Odis condendis expertus est Musas, eas aut subiratas, aut certe duriores aliorum Scriptor Lyricorum invenit. Hasce Lachius Odas Latinis constituit reddere carminibus; cumque de amatoriis ageretur, tenues elegos delegit, et facilem, nativum, nitidumque Peligni Vatis stilum molli, pellucentique carmine imitatus est adeo, ut ipsum, quasi dixerim, audias nova carmina meditantem Ovidium, quem ille propterea a mortuis excitasse videatur. Hic primus ingenii sui conatus fuit, hoc primum studiorum suorum argumentum in vulgus edidit anno MDCCLXIV. Nil ibi non scitum, nil non polite dictum. Poetae, ducisque sui vestigiis inhaerens aut ille Venerem blanda prece fatigat, et amanti bonam, facilemque vocat;

aut

aut pejeratae fidei crimen ingeniose diluit; aut annosam nutricem probris urget, insequiturque conviciis; aut se comentem, aut rura petentem puellam alloquitur; aut ipsi Theatro adstanti jura, legesque ponit; aut fallenti diras imprecatur ultrices, undique intelligas, acri eum pollere judicio, et àuribus maxime religiosis, ipsumque a natura fuisse, et arte ad hoc scribendi genus praeclare instructum. Neque vero ut fidus interpres verbum verbo reddere moratur diligentia nimis attenuata, et Salviniana illa, quae jure improbatur, servitute; sed ut Poeta, qui nihil de alieno detrahit, nihil ab Auctoris mente absonum addit, omnia ad latini carminis praecepta efformat, omnia latinis ornamentis convestit, et aurei quodam aevi sapore contingit, obli-

oblinitque adeo, ut, si quid judico, Felsineus ipse lusor amorum Romana per Lachium civitate donatus altius assurgere, et majorem inde videatur assumere dignitatem, nobilitatemque.

Annum jam nonum iis in finibus delitescentem Lachium vulnus afflixit gravissimum. Alterum enim ex parentibus dum adhuc luget sibi inopinato abreptum, luctu redintegrato, alter moritur. Duplici, eoque immaturo funere illorum, quos eximiis virtutum laudibus praestantes prae oculis ferebat, percussus adeo fuit, ut nihil posthac eum ad pristinam vitae, jucunditatem revocare posse videretur. Nihilominus quod maximum semper doctissimi homines adversorum levamentum esse duxerunt, eo ipse censuit animi sui medendum aegritudini, et domesticae ob-

si-

sistendum calamitati. Hinc in moerore, et luctu libri, studiumque inter remedia fuere. Cicero in pari fortuna, mortua nempe Tulliola, solatium a Philosophicis mutuatus librum exaravit *de Consolatione*.

Quamquam aspera, ac devia loca, quae primo aut rerum novitate perculsus obstupuerat, aut plurima in Parentes caritate, indulgentiaque adductus eatenus toleraverat, iisdem fato functis, molesta in dies, gravioraque experiebatur. Quid porro in solitudine illa, coelum si demas purissimum, ac saluberrimum, non fastidiret, refugeretque? Solum qua silvis horridum, qua triste, ac praeter oleam, anisumque, cetera vix patiens frugum: nimio labori, et industriae, queis veluti adversus naturam ipsam colluctaveris,

veris, fructu nusquam respondente. Abscissae, praeruptaeque rupes modo sole flagrantes aestivo, modo nivibus oppletae, aut gravi coeno tenaces, quod protritum picis in morem lentescit, et gradientem valde fatigat, demoraturque. Videas praesertim perpetua ibi ventorum praelia misceri, qui omnia turbine perflant, sataque nedum, sed et annosa robora convellere, tectaque illa informia exscindere minitantur. Sed et rusticitas illa, et inconditi hominum mores, quibuscum versari assidue cogebatur, nimium aberant ab urbanitate, liberalitateque illa, ad quas ipse natura, et institutione ferebatur. Iis autem uti, quorum studiis, ac voluntatibus maxime repugnaveris, opinione mehercule asperius est. Hisce omnibus de caussis grave, et indignum ratus in

hoc

hoc terrarum angulo cecidisse, hortantibus praesertim, ac stimulum addentibus amicis, quorum familiaritate carere facile non patiebatur, tandem a silentio illo, latebrisque emersit, atque amicis ipsis, Patriae, sibique restitutus est anno MDCCLXVII Curio ad S. Crucis Faventiae renuntiatus. Quem olim abeuntem luctus, moerorque publicus prosequuti fuerant, reducem illum gestientis undique populi plausus, laetaque omnium ordinum acclamatio deduxere. Qua quidem re quid bono civi jucundius esse potest, quid vero gloriosius? Atque hujus tantae significationis memoriam grata ille semper animi benevolentia coluit, effecitque praeclarius in dies de litteris merendo, ut dignissimus hujusmodi Patria videretur, a qua diligi se plurimum, atque amari certo perspexerat. Pro-

Profanis vero omissis, quae juvenis olim modestissime tamen, castitissimeque tractaverat, Musas ad graviora revocavit, a quibus exinde disjungi, dum vita superfuit, numquam passus est. Psalmi non unius Davidis opus, licet omnes a Davide dicantur, quos pro munere sacro perlegebat quotidie, illius animum jampridem perculerant, atque ad gravius aliquid audendum sollicitabant. Nobilissimo carminum genere illectus, divinaque captus, qua carmina ipsa illustrantur, sapientia, non satis demirari poterat aurea, queis affluunt salubrioris pietatis documenta, quibus propterea nihil dulcius cani, aut audiri posse, nihil vero ad bene, beateque vivendum utilius esse, praedicabat. Divino sane Providentiae consilio factum dixeris, ut ju-

cum-

cundissimo eloquentiae ac poeseos sapore perfusae veritates traderentur, quo suavitatem, et vitam una simul cum remedio potarent, ferme dixerim, legentes. Sic aegrotanti puero vitales inter succos, et herbas salubres dulce si quid misceas, blando ipse liquore deceptus pateram impiger haurit, et amaro interim se proluit pharmaco. Sed et Musis amicissimum hominem adeo Hebraicae poeseos granditate, magnificentiaque oblectatum putaverim, ut nulla alia re magis. Quid enim ejus generis esse potest, quod hanc poeticarum lucubrationum collectionem omnium vetustissimam vel aequare possit, vel superare? Angustae, concisaeque sententiae, temperata verborum sobrietas, ac modestia, (neque enim quidquam a sublimi dicendi genere perinde

de abhorret, quam tumor omnis, atque redundantia) stilus vehemens, fervidus, audax. Metaphorae, Similitudines, Allegoriae, ceteraeque nobiliores cum verborum, tum sententiarum crebro, raptimque alias aliae figuras excipiunt. Prosopopoeja praesertim qualis frequentior eminet in Psalmis, stilum ipsum effert mirifice, et insolenti, quodam splendore perfundit. Nec vanam interea, nec futilem artem illam dixerint, cui divinitus instincti homines adsueti ab initio fuerunt ad supremi Numinis laudes instaurandas, Religionem vero, et omne virtutum genus amplificandum; quam Graeci subinde, ac Latini Scriptores invaserunt, et ingenti populorum plausu, studiisque usurparunt, siquidem ementitum illud Deorum agmen celebrare, aut magnani-

mos

mos Heroas posteritati commendare constituissent.

Psalmos itaque, Lyricam illam poesim, quos sacras totidem Odas reputaveris, quarum aliae vividae, hilares, amoenae; graves aliae ac splendidae; aliae vero delicatulo, et molliore versu intextae, Psalmos, inquam, Latinis Lachius reddidit numeris, iisque variis; quae quidem pedum varietas necessaria visa est, tum ut legentium mederetur satietati, tum quia id ipsa per se postulat argumentorum dissimilitudo. Sic Romanae Lyrae Fidicen cum Odas suas caneret lepidissimas, undeviginti metrorum genera usurpavit. Neque illorum multitudo, qui in divinis hisce poematis exhibendis egregie desudarunt, eum terrere potuit, et ab opere, quod jamdiu secum animo repu-

putabat, deducere. Noverat enim, quid humeri ferre possent, apud seque statuerat, labori ne parceret in re tanti momenti. Audaci incepto exitus accessit felicissimus. Quae res in hujusmodi lucubratione duae potissimum requiruntur, hae consenserunt ambae, ac veluti conspirarunt, ut opus a Lachio numeris omnibus absolveretur: summa in referendis Agiographorum sententiis, et in imaginibus, formis, ordine, veneribusque servandis fides, ac religio; Latini vero carminis singularis prorsus concinnitas, splendorque. Magnum profecto, ac difficile, ut, dum Romanae ipse velificatur poesi, et per late patentes Latii campos evagatur, Solyma interim, palmiferamque Idumem nequaquam oblitus, ducibus usque suis insistat, et sententias sententiis, saporem

rem sapore exaequet, et cum iis quodammodo certare videatur.

Carminum vero, quae jucunditas, inquam, quae gratia, qui cultus! Quam illa elaborata, perpolita, limata! Quis in iis percurrendis verbum unum, aut phrasim unam offendat, quae non e medio latinitatis fonte hausta fuerit, Scriptorumque gravissimorum patrocinio, et auctoritate non tueatur, nitaturque? Quis non avidissime legat elegantissimam illam Psalmi septuagesimi noni Allegoriam Asclepiadeo versu a Lachio expositam, qua Hebraea gens vineae comparatur, cujus surculi ex Ægypto translati, et novo, eique felici solo crediti altius egere radices, tellureinque umbra late protexerunt; quam subinde fures rapacissimi diripuere, prosiliensque e finitimo specu ferus aper

de-

depopulatus est ? Quam belle elegiaco carmini conveniunt lamenta, questusque Davidis metu Saulis exulantis, animumque sollicitum spe in Deum certa erigentis: quod psalmo quadragesimo primo divinus Vates exposuerat! Sic non alio certe, quam heroico versu exponendus fuerat Psalmus decimus septimus, quo indignati Supremi Regis sese Olympo demittentis imago graphice describitur, quem fumus, et ignis, pluviaeque nubes circumstant, nec non terribili coelum omne fragore, et ex imis rupes motae cavernis adventantem praesentiunt, portenduntque. Digna prae ceteris, quae videatur Psalmi centesimi quarti expositio; in quo perquam breviter annales ab Abrami usque aevo ad ea tempora perstringuntur, queis Judaeos tandem Deus in possessionem

Cha-

Chananeae regionis immittit. Quam qui perlegat heroico pariter versu, eoque magnifico, ac vere sublimi a Lachio exaratam, clypeum illum insignem cogitando repetat, in quo noster ille divinus Maro sub uno veluti conspectu exhibet res Italas, Romanorumque triumphos; quorum imagine gaudet Æneas, ignorans interim humeris se famam attollere, et fata Nepotum. Nil mirum propterea, si, quod opus summa omnium gratulatione susceptum fuit, cum primo prodiit Faventiae anno MDCCXCI quam plurimis efflagitantibus excusum iterum anno MDCCXCV formis iisdem fuerit.

Psalmorum opus interpretatio excepit Epigrammatum. Epigrammata appellant latino, eoque satis apto vocabulo breviora illa poemata, quae *So-*

*netti* ab Italis nuncupantur: quod quidem carminis genus sicuti Lyricorum omnium longe venustissimum est, ac jucundissimum, ita arduum prae ceteris, ac perdifficile. Tamquam Lydium Lapidem ab Apolline ipso propositum illud ait Menzinius, quo Vatum ingenia experimento deprehendas. Quod enim Graecis, Latinisque datum, ut suas nempe poeticas lucubrationes modo monostichis, distichis modo, modo vero tetrastichis, hexastichis, decastichis exigerent, nefas illud est, si de Etrusco Epigrammate sermo sit, in quo certi positi fines, quos ultra, citraque consistere nequit, lege operis id vetante: a quo proinde veluti a Procrustis lecto cavendum, tritum est sermone proverbium. Non ideo tamen ab Italis ipsis, queis ingenium, queis

*de-*

*dedit ore rotundo*
*Musa loqui praeter laudem nullius avaris*, Hor. A. P. v. 323.

non inquam ab Italis ipsis carmen hoc neglectum ( quodnam autem neglexerunt ? Sive, ut verius dicam, quo non illi excelluerunt ? ) existimaveris. Nec rarum interea, nec insolens, ut ea identidem pareant Etrusca Epigrammata, quae simplicitate, unitate, et poeticae dictionis ornatu, rerum vero pondere, et sententiarum gravitate, ac dignitate excellere, nisi cavillator ille sit, rerumque morosus aestimator, inficiabitur nemo. Haec Lachius, quoties ad manum venirent, non exiliter, et jejune, sed docte adeo, nitideque latinis versibus reddebat, ut vel ex hisce facile intelligere possis, eum in Latinis multum fuisse. Quid enim mundius, quid

quid venustius legi potest, quid limatius? In iis percurrendis nunquam haereas, nihil fastidias; germanam ubique Romanae poeseos indolem, formam, habitumque dignoscas: immo nec modicum fatearis oportet ex ipsa interpretatione pretium illis unde unde, et honorem accedere. Quod si nonnulla esse dixeris, quae a summo paullum decedunt, quaeque propterea vertentis operam, et studium haud promeruisse videantur, non inde inferas, somnum obrepsisse interpreti, ipsique non adstitisse

*Judicium subtile videndis artibus illud*

de quo ipse loquitur Horatius. Multis enim de caussis haec quoque homini praesertim indulgentissimo transferenda fuerunt, ut amicorum postulationibus,

sive

sive, ut verius dicam, importunitati satisfaceret. Interea quae hominum aviditas est, et ad hujusmodi lautitias inexpleta libido, Lachianae versiones omni cura, studioque inquirebantur: cumque in omnium manus traderentur, describentium, uti assolet, audacia, inscitiaque eo usque contaminatae fuerant, ut Lachium in illis vix, aut ne vix quidem agnosceres: cui ut occurreretur incommodo, et patriae simul gloriae consuleretur, diu, multumque obnitendum fuit; donec tandem viri modestia cessit, ipsoque curante Etrusca Epigrammata ad unum, et septuaginta hexametro versu reddita anno MDCCCVII publici juris facta sunt, quae, eo e vivis sublato, vel nunquam, vel mendorum plena edita fuissent.

Exactae jam aetatis Lachius erat, alterum quippe ab octogesimo annum excesserat; neque tamen senectutem, quod incusaret, habebat: ingenio namque vigebat, virebatque integris sensibus. Vetulum vidisses libris comparandis, iisque legendis alacri, vividoque juvene intentiorem; in studiis vero, quae superiore vita coluerat, nunquam cessantem: quorum reapse specimen eximium hoc ipso anno absolvit, virtute poetica vires in eo quasi per aetatem acquirente. Quod maxime mireris inter cetera Hebreae poeseos monumenta, carmen illud est nuptiale, quo mortalium Sapientissimus mysticum Christi cum Ecclesia connubium perpetua designat Allegoria. Insigni hoc bucolicorum exemplo captus jamdudum Lachius, qui Canticum praete-

teriisset omnium tum ratione mysterii, de quo agitur, tum numerorum dignitate, et excellentia praestantissimum? Carmine itaque illud reddidit elegiaco perbelle Hebraei Vatis carmini congruente; quod, ut supra memoravi, in Poetis vertendis maxime considerandum. Atque in hunc carminis delectum deliquisse Manfredium constat, qui Horatii Odas heroico versu Italico nullo verborum similiter desinentium sono expressit: quod carminis genus Horatianis Odis respondere, nemo dixerit. Quocirca nec *Bezzam* a culpa liberaveris, qui Canticum hoc idem dum concinno sane, eoque elegantissimo versu exprimit, illius verba mollit sanctissima, et impio, nefarioque ausu vocabula sufficit ex Catullianis Hendecasyllabis deprompta: saepeque miscet

scet illud ***paetulis ocellulis*, *crispulis cincinnulis*, *crispula coma* , *et mollicella***, ut alia mittam permulta minus honesta, quae carminis illius divini castitatem, modestiamque minime deceant. Fateor, mystica sacrorum Sponsorum dicta delicatum nescio quid, et suave Hebraico sermone reddere, multaque legentium animos jucunditate, ac dulcedine perfundere: sed amoenus ille tener, mollisque stilus stilo respondet, quo in Idyliis Theocritus, Virgilius in Eclogis, in Elegiis Tibullus usi sunt; minime vero stilo, quem Catullus in Phaleuciis suis usurpavit licenter nimium, et ex arte lascivientibus.

Sciant interea, qui ad haec legenda accedunt, honestos olim, decorosque apud Hebraeos fuisse agendi, loquendique modos, qui inhonesti, et inde-

cori

cori apud alios habiti fuere: quaeque enim gens suos habet mores, quodque olim placuit, improbatum postea fuit. Hinc Hebraeorum vestitus, incessus, ritus nuptias contrahendi, sacrificandi, comedendi fuit alius plane, quam Graecorum, et Latinorum. Sic Homerus Illiad. 2. scribit, Thetim mentum, et barbam Jovis demulsisse, ut eum deliniret; quod rusticum modo, et barbarum haberetur. Ulysses vero deprehensus Trojae supplex Hecubae Reginae genas tetigit, ut ejus clementia mortem evaderet quod modo majestatis pene crimen haberetur. Sane imprudentis est, ex unius populi moribus aliorum, dictaque, factaque populorum judicare, et veterum temporum usus nostris metiri consuetudinibus.

Quoad Lachium vero mirificam plane

ne illius industriam in exemplaris sui assequenda mente, consectandaque indole non satis laudaveris. Ipsum enim neutiquam degenerem, sed omnia parem inducit, et offert: liber vero a religione verborum sensa tantummodo spectat, sententias scrupolose refert, ordinemque tenet quam fidissime. Audias, illo interpretante, Salomonem ipsum Romana Lingua loquentem, Idumaeasque puellas, dum mysticam Sponsam in thalamum comitantur, Latina carmen modulantes avena. Nec decentius sane, ut aliquid exempli caussa ponam, nec accuratius depingi poterat Sponsae sollicitudo, ac trepidatio, quae abrepta amoris impotentia per urbem fertur, et fora, viasque perlustrans amissi Sponsi nomen iterumque, iterumque ingeminat; quem tandem

dem inventum, prehensumque detinet, atque in Patria tecta ducit. Venustissima et illa, quibus, duce suo praeeunte, pastoritiis usus similitudinibus exprimit, celebratque fulgentes ceu mitis columbae oculos, et crines sicut pecus caprarum flavescentes, et niveos uti ovium villi, quas modo vitreis undis pastor mersaverat, dentes, et labra vittam rubore imitantia coccineam; et pubentes, dulceque renidentes genas, et turritum collum; et ubera veluti gemellos hinnuleos inter lilia pascentes, exsultimque ludentes.

Sed et alia eodem volumine complexus est, quae ex Hebraeo pariter fonte derivata ad Latinos heroicos numeros deduxit. Bina dico Moysis poemata: alterum nempe omnium vetustissimum illud, quod extat, carmen Epini-

nicium, et Eucharisticum, quo Filii Israelitici Supremo Numini grates persolvunt, et laetitia exultant, triumphantque gaudio, quod Pharium Ducem extrema minantem, quadrupedesque, equitesque simul, currusque fluctibus obruerit, Isacidis interim per siccum aequor patente via: alterum, quo divinus ipse Vates jamjam moriturus Cycnea voce, ut verbis Ciceronis utar, Judaeos praemonstrat, a Deo aliquando defecturos; plurima, praeclaraque Dei in eos collata beneficia commemorat, spondetque, subsecuturam Dei in ipsos misericordiam, si quando malis ipsi suis admoniti ad bonam mentem redierint. Habacuc dein grandi illo, magnificoque stilo Latina carmina modulantem inducit, Deique magnalia celebrantem, qui Judaeos ex

Ni-

Niliaca servitute exemerat, rogantemque, ut ab ipsorum cervicibus Babylonium quoque jugum dejiciat. Mox Ezechiam Regem instanti fato ereptum, sublimique carmine munificentissimo Numini gratias agentem refert: quod quidem carmen nescio, qua de causa Jsaiae Grotius assignet. Asiaticos saltem Reges eos scire debuerat, doctos fuisse dulces modos, citharaeque scientissimos. Simeonem quoque exprimit, qui sua se morte beatum fatetur, quod Isacidum gloriam viderit, terrarumque Sospitatorem. Hisce librum addidit, qui *Ecclesiastes* inscribitur, a Salomone exaratum, quem dum Elegiacis modis reddit, vana omnia docet, quae in terris se ostentant, blandiuntur, alliciuntque; veritatem vero, felicitatemque in virtute, Deique cultu, ac

ti-

timore sitam esse demonstrat. Tandem in latinos versus hexametros librum transfert, qui *Sapientia* dicitur, et notitiam rerum omnigenam, rectamque agendorum secundum Deum rationem complectitur: cujus auctor vel Salomon ipse est, vel saltem in eo Salomonis sententiae referuntur. Quod si ea omnia, quae laude digna in hujusmodi lucubrationibus occurrunt, recensere velim, totum ipsum opus exhibeam; ipsum enim opus totum Lachium probat artificem, atque ab ovo usque ad mala, quod est in proverbio, lepidissimum; adeoque cedro linendum, servandumque cupresso. Nil mirum propterea, si maxima illud adprobatione, et veluti plausu latinae exceperint poeseos peritiores. Atque singula haec satis ego, superque lauda-

vis-

visse dicar, si hoc unum addidero, Pontificem Faventinum STEPHANUM BONSIGNORE Venetiarum Patriarcham nuper designatum, cui laborem hunc esse sacrum jussit Lachius, quum in vulgus edidit anno MDCCCIX omni laude cumulasse, et singulari prorsus, et omnigena, qua floret doctrina, et acri ingenio, gratissimum habuisse.

De Lachii Interpretationibus singillatim multa locuti, de Interpretationum ipsarum dignitate in universum, et pretio unum, vel alterum verbum addidisse juvat. Qui enim aliena ex una in aliam linguam transferunt, quique continuam orationem in metricam, aut metricam ipsam in varia redigunt carminum genera ( quae omnia Lachium fecisse constat ) rem, quorumdam judicio, aggredi videntur nullis

lau-

laudibus opportunam, non rei litterariae necessariam, ac ne utilem quidem. Tamquam remiges, aut bajuli unius cujusdam operis traduci solent, queis veluti servituti natis omnis opinandi, disserendique praecisa facultas sit. Quid enim ingenii, ajunt, in hisce scriptis elucet? Quid eruditionis? Ubinam inventionis decus, in qua mens humana procreatrice quadam vi se exerceat? Quidquid laudandum inest libro, Auctori debetur suo, non illi, qui interpretatur, et convertit. Alienum solum vomere licet proscindas tuo, et seras, et occes, et sumptus utcumque conferas, et labores, nihil profeceris: omnia solo cedunt, dominoque soli acquiruntur. O seri studiorum, homines praeposteri, qui hujuscemodi commentis Interpretationum splendori ob-

obstruere, et interpretum gloriam extenuare conantur. Quibus antequam respondeo, illud monendum, me quidem supra innuisse, interpretationes illas, ac translationes, de quibus loquimur, usitatas antiquitus fuisse stili exercendi causa: quod tamen non ita dictum putes, quasi tyrocinii tantum genus quoddam illae sint, atque ad perfectam scribendi facultatem assequendam ratio quaedam proposita. Quis enim ignorat, si de veteribus sermo sit, non rudes certe, atque in Litterarum Republica novos homines, sed gravissimos scriptores, et veluti emeritis stipendiis, Platonem, Aristotelem, Herodotum, Xenophontem, Thucydidem, aliosque Graecorum praestantissimos latine interpretando summam laudis gloriam assequutos fuisse? Post re-

natas vero litteras, qui, quantique viri sive soluta, sive stricta numeris oratione vectigalem hanc operam Graecis, Latinisque pependerunt, a quibus veluti a purissimis fontibus tantam tam variae eloquentiae copiam derivaverant, hauserantque? Cui non noti Varchius, Politianus, Carus, Davanzatius, Marchettius, aliique permulti, quos omnes si recensere velim, nimius sim, qui tantam hoc quoque nomine adepti sunt famam, ut nihil supra? Quod si ad haec usque tempora deveniamus, utcumque multos mittam genere hoc studiorum nobilissimo insignes, praeterire nullo modo possum Vincentium Montium, Dionysium Strocchium, Clarissima Litterarum Nomina; quorum alter Volaterranum Vatem hominum mores pedestri Musa notantem, nec non Poeta-

tarum quotquot fuerunt maximum tristia bella condentem nulli ipse Italorum Vatum postferendus carmine expressit Italico: alter vero Battiadae Hymnos Italicis et ipse exhibens numeris tulit omne punctum; priusque defessi sunt homines laudando, quam dignis ipse laudibus efferatur. Queis annumeres Aloysium Lambertium, cujus mira prorsus carminis concinnitas, et nativa quaedam suavitas; quemque omnium judicio constat, in summam nominis gloriam Graeca interpretando pervenisse. Neque vero hoc loco taceam Clarissimum Virum Aloysium Lanzium, quem nuper extinctum studia Antiquitatis, bonaeque artes flevere; cujus Italicam Operum, et Dierum Hesiodi versionem elegantissimo carmine vulgatam, notisque doctissimis adornatam

me-

memor admiratura sit posteritas. Sed et sollertissimum illud Veronense ingenium quis ignorat Hippolytum Pindemontium, qui celebre carmen Homereum, in quo Ulyssis errores, laboresque describuntur, Italicis numeris industrie adeo, accurateque expressit, ut ex praeclara illa, et eximia specie, atque decore, quem tantopere in divino Vate admiramur, mutatione vestis facta, nihil omnino detractum, nihil imminutum sit? Quibus omnibus quis perfrictae adeo frontis erit, ut ingenii opes summam eruditionis cujuscumque supellectilem, inveniendi vero, excogitandique vim, et decus audeat denegare? Cum linguarum peritia doctrinam quoque conjunctam fuisse, quae proprio ab illis ingenio scripta, et monumentis litterarum tradita sunt, satis,

su-

superque testantur: quae quidem nedum orationis, sed eruditionis etiam, et scientiarum splendore nitent, oblectant, capiunt.

Quamquam, hisce etiam seclusis, nec ingenii opes Interpretationi deneges; cujus ministerio necessario eget Interpres, ut sententias, ordinem, vim, imagines, veneresque operis omnes, quod interpretandum suscipit, verecunde tueatur, reddatque religiosissime: quorum unum si deficiat, Interpretatio jam non Interpretatio, sed scriptum quoddam simile erit, non par, et aequale, nulli linguae decus, voluptatem nullam doctis hominibus, sed nec ullam indoctis allaturum utilitatem. Non aliter surculo, quem ex uno aliquo in aliud solum transferas, ut radices altius agat, validusque exeat in auras seris Nepotibus fru-

fructus, et umbram largiturus, novum solum ejusdem naturae, eademque laetum uligine subjiciendum est: si enim dissimile sit, degener surculus, et succos priores oblitus poma non sua dabit, et agrestia; nisi vero iners etiam, et ignavus in frondes tantum abeat, et folia. Haec porro quis in Lachio desideraverit? Quae non ille proprio Marte ficta poemata identidem edidit elegantissima, quae nedum ornatu probarentur, sed Inventionis etiam nobilitate, doctrina vero, omnique eruditione excellerent? Queis addas, quae verecundus sui aestimator in scriniis pressit; quaeque publici juris aliquando factum iri, sperandum est.

Ceterum nec sagax multum, nec satis ille prudens esset, qui ex una in

✝ ali-

aliam linguam aliquid translaturus verba, apposita, adjuncta, troposque, prout in authographo extant, rigide sectaretur, redderetque. Sollicita enim illa figurarum, vocabulorum, et syntaxis Hebraicae, aut Graecae, v. gr. cum Latina Lingua consonantia male Latinis auribus responderet, stilumque offenderet, quem ipsa Latina Lingua reposcit. Hac, inquam, inepta prorsus, servaque vertendi ratione exasperati doctorum animi Salvinii manes, et nomen usque insectantur, et exagitant: ( dempseris hoc unum, perpaucos sane habebis, quos nedum Linguarum peritia, sed rerum omnium doctrina cum Salvinio comparaveris. ) Non ita Catullus cum Callimachi hymnum, aut venustissimam Sapphus Oden verteret, non Areostius, cum Latina

Ca-

Catulli ipsius, Statii, aliorumque carmina in divinum suum transferret poema, non Politianus in admirandis illis Octasticis, non ita demum ceteri omnes, qui selectiora Graecorum, Latinorumque loca usurparunt, suaque, mutata veste, fecerunt: quod et Virgilium consuevisse constat, qui in Bucolicis Theocritum, Hesiodum in Georgicis, Homerum cum divinum illud caneret Epos, secutus est. Haud aliter Lachius aurum auro, gemmasque gemmis rependens, Vatum, quos interpretatur, thesauros recludit, eorum modo robur, vim modo, modo elegantiam imitatur, ac teneros sensus, et molles, aut alacres, vividosque innectit, et offert. Illum idcirco non Interpretem tantum, sed Auctorem quoque dixeris, qui exemplaria sua secutus ut interpres, novit

ulte-

ulterius uti Romanus Vates concordibus, aptissimisque coloribus, quos ipse depinxit, quaeque excogitavit, ornamentis, exemplarium ipsorum colores, et ornamenta novis quidem, sed aeque venustissimis formis exhibere. Verum qui multus in Latinis non fuit, nec intima cum illis junctus amicitia non sibi

*Speret idem, sudet multum,*
*frustraque laboret*
*Ausus idem.* Hor. de A. P. v. 241.

Atque haec potissimum de Lachii studiis, litterisque memoratu digna videbantur. Quibus enarratis, interiorem hominis vitam, quaeque ad domesticam pertinet disciplinam, brevibus verbis perstringam. Neque enim inficiandum, omnia haec, quae exigua forte, et parvi momenti videbuntur, dum hominem fideliter exprimunt, et quasi

na-

naturalem illius notam describunt, ad Lectores erudiendos, qui finis Historico propositus esse debet, mirum in modum conferre. Ita Plutarcho visum, atque Nepoti, quorum uterque vitas virorum belli, domique excellentiorum persequentes, nec leve, nec a gravitate remotum illud scripturae genus existimarunt, quod minuta ea complecteretur. Itaque Parentibus, uti memoratum est, morte interceptis; major hic natu cum esset, aetate porro autem composita, Patris fratribus loco fuit. Ipse ( quod difficillimum in luctu est ) communem domus vicem, orbitatemque unus consolari cogebatur; unus ipse rem familiarem administrare, tuerique, quam collapsam, et valde attritam tanta quidem felicitate curavit, ut patrios quoque fines protulerit,

rit,

rit, et censum auxerit patrium: quodque caput est, unus ipse fraternae institutionis onus suscipere; immo taedium aliquando, et laborem perferre. Felix qui laborum, curarumque suarum fructus cepit et laetos, et uberes, nec fratrum quemquam doluit a perenni, perspectaque stirpis virtute depravatae voluntatis vitio deflectere. Optimus ipse cum esset, suos omnes optimos effecit.

Lachii, de qua loquimur, solertiam, atque nativi ingenii dexteritatem, quam vivens suspexerat Scipio Zanellius, moriens testatam voluit. Alveum extruxerat civis ingenio, opibus, et genere insignis quo per sex, et viginti passuum millia effossa humo Anemonis aquas per Padum Primari cursu patefacto in Adriacum mare deriva-

rivaverat: Regium opus, ausu Romano, aere, ductuque illius privato absolutum; quod transvectionum facilitate ad nostras fruges alio asportandas, ad externas vero merces huc invehendas invitat, allicitque. Illius molitione factum reapse, ut confluerent undique, miscerenturque gentes commercio diversae, et quod natura, aut arte natum, factum esset alibi, illud apud nos, stupentibus nobis, natum, factum esse videretur: queis excitata demum industria, auctaque Faventinorum fortuna est. Lachium interea non dubitavit Zanellius praefectum una cum aliis probitate, rerum vero experientia spectatissimis viris testamento scribere, a quo tanti operis ageretur cura; pars vero reddituum dimidia in Virgines dotandas, juvandosque egenos, quos diu-

diuturna insanabilis morbi vis exederet, erogaretur.

Summa quoque in eo fuit illa virtutum omnium princeps prudentia, quam Cicero rerum expetendarum, fugiendarumque scientiam, et vivendi artem appellat. Ea cum privatam hominis vitam semper moderata est, tunc maxime enituit, quum superioribus annis ex tam gravibus procellis, totque civilibus fluctibus, quibus maximis jactata Civitas est, omnis ille integer periculi, et sine ulla offensione ad incolumitatem pervenit. Cum enim intestinis motibus, et turbis omnia deflagrarent, et aliis alii studerent partibus medius ipse, et neutris adhaerens pacis usque, et animorum concordiae hortator, suasorque, dum publicam rem meliorem facit, illud quo-

que

que assequitur, ut omnium vel maxime voluntatem promereatur.

Ad haec mira hominis comitas, affabilitasque sermonis, et erga obvium quemque officiositas incredibilis. Nec specie tantum, ut moris est multis, quorum labia melle fluunt, cor madet veneno. Nullae enim in eo blanditiae, nulla assentatio, et pejor odio amoris simulatio: animo, et moribus ingenii, scriptionisque candorem aequabat, ac suavitatem. Nihil unquam ex ore ejus insolens auditum est, nihil superbum, aut maledicum, sicuti nec gloriosum quidquam: sua enim non modo non efferre, sed verbis utcumque attenuare conabatur. Convenientem, ut poeticum quid recitares, illiusque judicium exquireres, benignissime excipiebat, collaudabat, animos addebat:

bat:

bat: sicubi vero de poesi tua reprehendum aliquid, culpandumve esset, *corrige, sodes, hoc, ajebat, et hoc*; summa interim modestia, et alacritate, quod desiderari posset, sufficiebat, quasi ad hoc paratus fuisset jampridem. Nullas unquam gessit inimicitias; neminem enim ipse laesit; illatas vero sibi injurias oblivione contrivit voluntaria: rursus amicitias, quae nisi in bonis esse non possunt, nec sine virtute esse ullo pacto possunt, coluit impensissime: cumque in summa voluntatum, studiorum, sententiarum consensione omnis sita sit vis amicitiae, sibi potissimum devinxerat homines spaetatis suae virtute, doctrinaque spectatissimos, Antonium Buccium; quem supra memoravimus, maximum illud Philosophiae lumen, Laurentium Fus-

co-

conium, cui Phoebi chorus adsurgit omnis, Angelum Fabronium de Historia Litterarum, deque Italiae gloria praeclare meritum, Alexandrum Plancolium Georgici praesertim carminis interpretatione memorabilem, Tosettium, Contolium, Maccabellium, quorum benevolentiam minuere, aut dissolvere nulla unquam res potuit, augere vero, firmareque consuetudo videbatur inveterata. Horum ipse familiaritate supra modum ducebatur: nec multa inter amicos agenti jucunditas deerat, nec magnus in jocando lepos. Summa vero prae ceteris Religio in Deum, pietas in suos, liberalitas in pauperes, justitia in omnes. Uno verbo multiplici maximarum virtutum genere monstrabilis erat; adeo ut Patriae amor, et deliciae diceretur, et esset.

Id

Id vel maxime compertum, cum graviter illius tentata valetudo fuit. Qui tum Civitatis habitus, qui singulorum animi! Si mortem flectere lamenta possent, gemitusque, id sui profecto cives pervicissent. Non alias tanta in capitis unius discrimine omnium ordinum trepidatio, perturbatioque facta est. Sed jam summa Lachio dies, et ineluctabile tempus instabat. Principio vigiliis conflictatus, quaeque comes consequitur, cibi satietate, et fastidio, quod nulla unquam re potuit relevari. Hinc illi prima mali labes, hinc nostri initium doloris. Fractae dein vires, et oculorum praesertim sensus imminutus adeo, ut scribendo, legendoque impar omnino esset. Quod inde superfuit vitae spatium (duorum circiter mensium fuit) miserrimum, et jugis veluti

cum morte colluctatio. Afflictum, et viribus non modo desertum, sed corpore etiam pene omni amisso, et consumpto distabescentem vix demum internosceres. Febris interea accessit; quaeque primo levissima, et quasi lenibus vestigiis irrepserat, mox vi recrudescente morbi vehementior incubuit: lateris vero dolor, et animae difficultas pleuritide accensum prodiderunt. Quater idcirco vena incisa est. Qua ex re meliuscule illi quidem; sed brevi omnis gratulatio, spesque concidit. Etenim hemiplexia, quam vocant, correptus est. Laeva corporis parte resoluta, et lingua licet haesitante, et inexplanata, mens tamen sua. Hinc paullo ante, quam naturae satisfaceret, consolari suos exorsus, ferrent aequo animo vim necessitatis admonebat; non defuturum

coe-

coelitus patrocinium, virtutem modo, et bonam mentem colerent: Religionem interea ab se discerent in oculis habere. Quorum ubi persensit responsa fletu, singultibusque praepediri, ne tristiores redderet, medium abrupit sermonem. Musarum quoque, quas in omni vita coluerat, recordatus, laetari se modo quam maxime dicebat, quod suis ipse carminibus offendisset neminem, Supremi vero Numinis laudes, et gloriam maxime complexus fuisset: insignioraque interim, et sanctiora loca pronunciabat. Mox ad Sacerdotes conversus, qui extremum illius spiritum excepturi adstabant, multa cum iis colloquutus est, incredibilem vero pietatem, et singularem prorsus animi constantiam bene actae vitae conscientia sustentatus usquequaque osten-

ostendit. Atque ita Christum patientem, vitamque immortalem cogitans sancte qui vixerat, sancte acquievit. Natus erat Lachius Saeculo superiore postridie Kalendas Junias anno supra vigesimum octavo: mors illi intervenit anno vertentis saeculi undecimo ad septimum Idus Januarias. Grande fuit in Civitate Lachii desiderium, omnibus, sumpto veluti justitio, comploratibus. Quae porro lugubris pompa, quae funebris laudatio, et si quae sunt alia doloris imitamenta cum moerore hoc publico comparanda? Scilicet haec summis viris justa exequiarum dignissima; quae non cognatorum, et affinium fastus, et opulentia, non mos, consuetudoque, sed sincera, et studiosa virtutum commemoratio, liber vero civium amor, et reverentia celebrant-

brantque, solvuntque. Hac funeris ambitione elatus ad S. Augustini.

Formam corporis, habitumque, qui percontetur, haec habeat. Statura fuit justa, corpore exili, macroque potius, quam succoso. Facies livens, et a plumbeo quodam colore subfusca. Oculi caesii, exigui, intra cavos orbes valde recedentes, iique longe posita minime cognoscentes; verum si propius quid inspicerent, supra fidem acutissimi: ( ita vitiatos Graeci Myopes, Latini luscitiosos appellant. Vide Gell. L. 4. Cap. 2. ) Nasus elatus, nec aduncus tamen, calvities prematura. Gestu, cultu, sermone modicus fuit; adeo ut qui magnos viros oculis metiri, et specie aestimare solent, viso, auditoque Lachio Lachium quaererent.

At-

Atque hic Lachii vitae cursus fuit, haec Litterarum studia, queis vivens praeclaram sibi nominis gloriam comparavit. Sed haec quanti demum habenda sunt? Quam porro fluxa, et incerta? Totus, si absque animi virtute foret, Lachius occidisset. Hac sibi, nobisque vivit, hac modo aestimari se, probarique desiderat. Te vero, Senex sanctissime, spondeo, in meque recipio, Cives tui suspicient, et mirabuntur; Te semper, ex cujus moribus componant suos, tamquam in speculum intuebuntur. Corporis tui formam, non animi morte perdidimus. Tu perges, non secus ac solitus es; de omnibus benemereri: at nos, quae cuique facultas aderit, gratiam rependere imitando contendemus.